

§. XXII. Mortuo CALIXTO, extinctis etiam illis, a quibus oppugnatus maxime fuerat, longe vehementius, quam antea, belli huius flamma saeviebat. Pergebant Saxonici, maxime ABRAH. CALOVIVS, defuncto leoni acerbissime insultare, immo viam ad apertum Lutheranae ecclesiae discidium, parum prudenter, ut optimi quique, minime licet Calixtini, iudicabant, sternere. Novus nempe liber *Consensus repetiti fidei vere Lutheranae* nomine conscribebatur, ceteris adiiciendus, quibus *Symbolicorum* nomen tribuimus, et iure iurando a doctoribus publicis confirmandus, per quem CALIXTVS cum sectatoribus et amicis Lutherana communione, et pacis idcirco etiam, quae Lutheranis data est, fructu indignus pronuntiabatur. Famam et memoriam CALIXTI moderate tuebantur GERH. TITIVS, IOACH. HILDEBRANDVS et alii quidam temperati ingenii Theologi. *Consensum*, quem diximus, aeternae dissensionis facem fore et rebus Lutheranis exitiosum, prudentissimi viri demonstrabant: quorum etiam consiliis, ne auctoritatis aliquid consequeretur, impediabatur. Oppugnabat illum, praeter alios minus notos, FRID. VLR. CALIXTVS, GEORGII filius, vir non indoctus, at patre et ingenio et humanitate et doctrina multum inferior: Pro *Consensu* stabant et pugnabant maxime ABRAH. CALOVIVS et AEGID. STRAVCHIVS. Magna seges est librorum et disputationum, quos utriusque partis ardor protrudit: in quibus tantum est, proh dolor! maledictorum, probrorum, iniuriarum, facile ut appareat, a contendentibus non tam veritatis et IESV CHRISTI, quam sectae, gloriae et vindictae suae causam actam esse. Post diuturnas altercationes senectus eorum, qui utramque familiam ducebant, *Consensus illius repetiti*, qui nova funesto bello alimenta suppeditaverat, abolitio, novarum inter nos litium ortus, adiunctis aliis quibusdam causis, saeculo iam deficiente, silentium tacite imperabant.

§. XXIII. Caput omnium, quae tam odiose CALIXTO exprobrata sunt, criminum studium eius est tres illas nobiliores Christianorum in Europa familias, Pontificiam, Lutheranam et Reformatam, non sociandi, aut in unum corpus cogendi, ut mentem eius interpretantur adversarii, sed a mutuis odiis et inimicitiiis ad amorem et mutuam benevolentiam quamdam vocandi: id *Syncretismi* nomine vulgo damnatur ^{c)}. Quae praeter hoc institutum vitio ipsi datae et accusatorio

immo consiliorum aulicorum non imperitum. Et nescio fere, an nostra iam aetate liceat, si vel par ei scribendae aliquis existeret, sine invidia et periculo in vulgus efferre omnia, quibus commemorabile istud negotium maxime continetur.

c) Non ego meam CALIXTI causam facio, nec, quae ab eo scripta et tradita sunt, omnia vitio carere disputo: Atqui hoc veritatis amor monere me iubet, malos eximio viro interpretes obtigisse, et eos quoque, qui sibi ceteris sententiam eius rectius perspexisse videntur, vehementer errare. Dicitur vulgo pacem cum Ro-

mano Pontifice et eius familia suavisse: temere profus. Publice enim professus est, cum ecclesia Romana, qualis nunc est, nullam a nobis concordiam et societatem iniri posse, et si quae olim spes extitit discidii sanandi, eam omnem Tridentini concilii fulminibus extinctam et deletam esse. Fertur superstitiones et errores omnes, qui Romanis dedecori sunt, plurimos saltim, aut probasse, aut excusasse: hic vero non tot tantum scripta, quibus Pontificiorum opiniones et dogmata refellit, sed etiam ipsi eum Pontificii purgant, qui CALIXTVM ceteris omnibus